

*Doc. 55 (Robertus etc.
universis presentes licteras
inspecturis tam presentibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 55 (Robertus etc.
universis presentes licteras
inspecturis tam presentibus...)*

1334-06-07

Robertus etc. universis presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris.

Collateralibus nostris, qui pars nostri sunt corporis, honores et gratias libenter impendimus, et benemeritis nobis remunerationis gratie beneficium libentius impartimur. Sane Hugone de Baucio de Berra, milite consiliario familiari et fideli nostro humane carnis debitum exolvante cui dum viveret et viro nobili Bertrando de Baucio comiti Montiscaveosi dilecto affini consiliario familiari et fideli nostro fratribus custodiam defensarum nostrarum Sancti Gervasii et Lacuspensulis de iustitiariatu Basilicate cum eorundem locorum castellaniarum officiis duximus committendam, ipsique Hugoni ad eius vitam tantummodo et donec ipse dictusque comes procurarent utiliter custodiam et officia prenotata iura redditus et proventus defensarum ipsarum usque ad valorem unciarum centum per annum duximus concedenda. Nos ac tentis grandibus utilibus et devotis serviciis, que dictus comes maiestati nostre prestitit hactenus prestat ad presens et speramus eum in antea laudabiliter prestiturum propter que illum dignum specialis nostre munificentie et gratie reputamus eidem comiti soli eamdem custodiam nostrarum defensarum ipsarum Sancti Gervasii et Lacuspensulis cum predictis castellaniarum officiis harum serie de certa nostra scientia de novo fiducialiter duximus committendam, gerendam per eum vel alios viros profecto ydoneos et fideles quos ad id duxerit deputandos, eidemque comiti ad vitam eius tantummodo et donec procuraverit utiliter custodiam et officia prenotata dicta iura redditus et proventus defensarum ipsarum, per dicti Hugonis obitum pervenientia ad nostre curie manus usque ad

valorem unciarum centum per annum, harum serie proprii motus instinctu de mera liberalitate nostra ipsa certa scientia et speciali gratia duximus concedenda, salvis tamen et reservatis expresse forestis et animalibus defensis eisdem exceptisque pariter pascuis animalium nostre regalis curie, quibus per presentem concessionem nostram nullum volumus preiudicium irrogari. Ita quidem quod retentis et habitis per eundem comitem de prescriptis iuribus redditibusque et proventibus annuis centum unciis prenotatis, totum id quod inde restiterit singulis annis in camera nostra thesaurariis nostris integre suis vicibus assignetur. Ne autem ipsa nostra curia possit circa hoc in aliquo circumscribi, notarium Andream Plantasoliam de Venusio credenzerium massariarum curie nostre partium Apulie penes eundem comitem, circa perceptionem dictorum iurium reddituum proventuum credenzerie, similiter officium exercere iubemus et volumus usque ad nostre beneplacitum maiestatis, nullis propterea gagiis de novo solvendis eidem cum gagia que ratione huiusmodi credenzerie massariarum officii a dicta curia percipit sufficere sibi rationabiliter dinoscantur. Et nihilominus prefatus comes de pretactis iuribus redditibus et proventibus coram magistris rationalibus magne nostre curie Neapoli residentibus quolibet anno debitam rationem poni facere teneatur, investientes premissis modo eundem comitem presentialiter per nostrum anulum de unciarum centum annuo reddito predistincto. Pro quibus quidem annuis centum unciis iamdictus comes servire teneatur immediate et in capite nostre regali curie de contingenti proinde militari servicio ad rationem de unciis quinque et quarta pro singulis viginti unciis prenotati valoris annui, iuxta quod est de usu et consuetudine regni huius, quod

servicium prefatus comes in nostra presencia constitutus eidem curie bona et gratuita voluntate sua facere obtulit et promisit. Volumus insuper quod idem comes procuret cum solertia debita et instanti ut infra mensem unum a die date presentium in antea numerandum penes dictos thesaurarios in quaternionibus nostre camere, tamquam novus perceptor pecuniarie provisionis huiusmodi super prenotatis iuribus ut pretangitur stabilite specialiter conscribatur, ut tempore quo in regno precipitur militare servitium, eum tamquam novum perceptorem annue pecuniarie provisionis eiusdem manualiter et habiliter in eisdem quaternionibus cum distinctionibus debitis reperiri contingat. Alioquin presens nostre concessionis et investiture gratia nullius momenti vel roboris censeatur. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et pendenti maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Neapoli per manus venerabilium patrum Bartholomei archiepiscopi tranensis fratris Guithardi abbatis monasterii cavensis vice cancellariorum et Iohannis Grilli de Salerno etc. Anno domini MCCCXXXIII die VII iunii II ind. regnorum nostrorum anno XXVI.